Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8188
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Miserere mei deus secundum magnam misericordiam tuam et secundum
multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam Amplius
lauame ab iniquitate mea et a peccato meo munda me quoniam
iniquitatem meam ego cognosco et peccatum meum contra me semper
Tibi soli peccavi et malum coram te feci ut iustificeris in sermo
nibus tuis et vincas cum iudicaris Ecce enim in iniquitatibus concep
tus sum et in peccatis concepit me mater mea Ecce enim veritatem dilexisti
incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi Aspergis me domine hysopo
et mundabor lavabis me et super nivem dealbabor Auditui meo
dabis gaudium et letitiam et exultabunt ossa humiliata Averte faciem tuam a
peccatis meis et omnes iniquitates meas dele Cor mundum crea in me
deus et spiritum rectum innova in visceribus meis Ne projicias
me a facie tua et spiritum sanctum tuum ne auferas a me Redde mihi letitiam
salutaris tui et spiritu principali confirma me Docebo iniquos vias tuas
et impii ad te convertentur Liberabis me de sanguinibus deus deus salutis
meae et exultabit lingua mea iustitiam tuam Domine labia mea
aperies et os meum annuntiabit laudem tuam Quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique
holocaustis non delectabis Sacrificium deo spiritus contribulatus cor
contritum et humiliatum deus non despicies Benigne fac domine in bona
voluntate tua Sion ut edificentur muri Hierusalem Tunc acceptabis sacrificium iustitiae oblationes et holocausta tunc imponent
super altare tuum vitulos Ant Ayiserere mihi deus Ant intellige
Verba mea auribus percipe domine Ps clamorem meum domine
intellige clamorem meum Intende voci orationis meae rex meus et deus meus Quoniam ad te ora
bo domine mane exaudies vocem meam Mane astabo
tibi et videbo quoniam non deus volens iniquitatem
tu es Neque habitabit iuxta te malignus neque per
manebunt iniusti ante oculos tuos Odisti omnes qui operantur
iniquitatem perdes omnes qui loquuntur mendacium Virum sanguinum et